

Handwritten text on the adjacent page, including numbers 3, 7, 8, and 1.



713.

13

1631, 5

XIII

DISPUTATIO
DE IURE CONNU-
BIIORUM:

Hoc est,

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONII RITE
CONTRAHENDIS ET DISSOLVENDIS,

QUAM

DEO TER-OPTIMO MAXIMO FELI-
citer auspicante,

Præside

Viro Clarissimo, Amplissimo & Consultissimo,

DN. GEORGIO-DAVIDE LOCAMERO,
J. U. D. IN INCLYTA ARGENTORATIENSIVM
UNIVERSITATE PANDECTARUM P. P. ET FACULT.
Juridic. p. t. Decano Spectabili, Patrono ac Præceptore
suo omni observantiâ colendo.

Ad diem Decembris:

Placidè ventilandam exponit

DAVID Refler / SCHÖNOVIA-SILESIUS.



ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS GEORGII SIMONIS.

Anno M. DC. XXXI.



DE HERE CONNIE
DIESE WERKE

DE SPOLIERINGEN
VAN DE WERKEN

DE GEBOORTE
VAN DE WERKEN

DAVID VAN DER
WALDEN



Van der
Walden
1711

V
U
K
D
H



717.
PRÆSTANTISSIMO DN. DAVIDI

Resler / DE CONJUGIO, IN ALMA

ARGENTORATENSIVM UNIVER-
sitate disputanti.

I.

Dum sacra legitimi socialis fœdera lecti
Pegmate sub Clario, Resler amande, probas,
Recta facis; faciant alii rectè; ipsa tenore
Hoc quoq; conformi pagina sacra facit:
Sic tibi, sic aliis feliciter omnia cedent;
Sic è conjugio commoda mille cadent.

L. M.

M. Paulus Gnilius Bicina-Sil. in
Gymn. Arg. Præcep. Class.

I. E.

Quamvis sexcentos habeant Connubia casus;
Declinat nemo flebile Conjugium:
Vix nomen recitare suum, scit amare Juventus,
Conjugat ille Volo, conjugat alter Amo.
Uxores ducunt, ducuntur & esse beati,
Si Veneris liceat tangere sæpe fores.
RESLERUS contra Themidos conscendit arenam
Doctorum potius consulit ora virum,
Disquirítque magis perplexos solverenodos
Conjugii, & Clariæ iussa referre Deæ.
Hoc dum conatur, peragat cum fidere fausto,
Slesiáque hinc capiat nuncia grata, precor!

φιλήματος καὶ συγχαίματος χάριν fundeb.

Caspar Giflerus, Leobergâ-Siles. SS.
Theol. Studios.

Ergo nigris latuisse piget, KESLERE, tenebris,
 Et num sis natus nesciri? indagine mentis
 Quin magis arridet prodire in luminis oras,
 Indoctiq; procul te denso à pulvere vulgi
 Tollere sublimem Themidi, castaq; tueri
 Juraplacet Veneris. Quantum indefessa laborum
 Vis possit sic nempe doces, quidve audeat ardor:
 Sic, dum non trepidas te docto sistere mundo,
 Applaudunt cuncti, Euge; tibi nupturaq; quondam
 Afflicta patria te spondet Fama columnam.

Studii & Amoris ergo fecit

Joh. Caspar Herrmannus

IV.

Dum scandis cathedram; doctorum insignia volvis
 Dogmata, ceu fas est: en benè jura docens.
 Ergo patet meritò conscendere PALLADIS arcem
 Quo tibi laus fertur & sine fine manet.
 Magnus eris KESLER cui nunc meditatio scire,
 Incrementa DEUS, cætera CURA dabit.
 Perge: dabit sic te circum Doctorea sindon
 Sed vespillonem frigida tristities.

F. O. E. A.

Tobias Klugius Soravus L.

V.

Altor conjugii DEUS est. Cur spernere tentas
 Papa, & præsumis cur prohibere tibi?
 Papa DEUM spernis, tua cum decreta Jehova
 Præfers, ipse DEUS debitus ultor erit.
 Rectè ergò KESLERE facis, dum Jure tueris
 Contrapugnantes connubiale jugum.

Henricus Engelhart Lygio-Silesius

SS. Theol. Studiosus.



DISPUTATIO
DE IURE CONNU-
BIORUM:

Hoc est,
DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS
RITE CONTRAHENDIS AC DISSOL-
vendis.

Principium, DEVS, & Medium, & sis Clausula felix!

Thesis I.



Mne jus quo utimur, vel ad Personas, vel ad Res, vel Actiones pertinet, §. fin. I. d. I. N. G. & C. l. I. ff. d. stat. hom. Cum igitur Personæ, quibus jus dicitur sint primum Iuris Civilis Objectum, non abs re erit, si ego primitias studii juridici daturus, earum materiam leviter libem.

2. Est igitur summa de Jure Civili Personarum divisio, quâ personæ quædam sui juris sunt: quædam alieno juri subjectæ, pr. Inst. de his qui sui. l. I. ff. eod. Quæ sui Juris sunt, earum quædam in Tutelâ sunt, quædam neutro Jure tenentur, pr. I. de tutel. Quæ verò alieno juri sunt subjectæ, aut sunt in potestate patriâ, aut in potestate dominicâ. pr. I. de his qui sui. in dominicâ sunt servi, qui olim â Dominis impunè poterant occidi, hodie a. non sine causa legibus permiffâ. I. d. t. §. I.

3. In patriâ potestate sunt liberi, pr. Inst. de patr. pot. Est a patria potestas quasi proprietas, quam patres in liberos habent, fac. l. I. §. 2. ff. de R. V. & acquiritur tribus potissimum modis: Procreatione scil. ex justis nuptiis, l. 3. ff. de his qui sui. & l. 19. ff. de stat. hom. Legitimatione: §. fin. I. de Nupt. & Adoptione, l. I. pr. ff. d. adopt. I. §. I. d. t. §. 13. d. Nupt. Quia a. sponsalia nuptias plerunq; antecedere solent,

A

solent,



solent. l. 19. ff. de sponsal. Ideo & ego hunc articulum attacturus, primò de Sponsalibus, deinde de Nuptiis (divino auxilio priùs implorato) non pro materiæ dignitate ac excellentiâ, sed ingenii mei tenuitate in seqq. thesibus agam.

4. Nomen habent Sponsalia à Spondendo, l. 2. l. *quæsitum est* ff. d. Spons. Borch. de grad. p. 21. Vnde Sponsus & Sponsa: quasi alter alterum sibi stipulatione & repromissione reciproca obliget. Fuit n. in more positum veteribus Romanis, ut sibi futuram Vxorem stipularentur; eamq; sponderetis, cuius in potestate illa esset, l. 4. C. d. Spons. Wesembec. in π. ff. eod.

5. Nomen Sponsaliorum accipitur I. pro arrhis sponsalitiis l. 1. in fin. C. si nupt. ex resc. pet. tot. tit. C. si rector prov. spons. ded. II. pro donatione propter nuptias l. 2. C. d. sec. nupt. III. pro matrimonij præambulis seu spe matrimonii. l. 13. ff. ad l. Iul. d. adult. l. 1. ff. d. spons. & sic hoc loco.

6. Definiuntur sponsalia mentio & repromissio futurarum nuptiarum. c. nostrates. 30. quest. 5. l. 1. ff. de spons.

7. Dividuntur I. in Sponsalia de præsentis & futuro c. pen. extr. de spons. Sponsalia de præsentis sunt, quando quis utitur verbis præsentis temporis, veluti ego te accipio in meum, meam. Sponsalia de futuro sunt, quæ ratione futuri matrimonii per verba futuri temporis contrahuntur, ut ego te accipiam in meum, meam. c. licet 3. de spons. duor. c. 22. c. si inter 31. de spons. cap. ult. de conjug. leprof.

8. Quæro, cum verba promissionis sæpè sint ambigua, ut nescias, sint nè sponsalia de præsentis an de futuro contracta: utrum hæc an illa potius sint præsumenda? Respond. pro sponsalibus de præsentis si vè matrimonio potius, quam de futuro esse præsumendum & judicandum, c. 7. ex literis c. 26. tua nos, extr. de spons. c. licet extr. de test. c. fin. extr. de sentent. & rejudic. In actibus n. qui pendent à merâ voluntate & dispositione loquentis, istiusmodi verba pro præsentibus accipiuntur, c. quemadmod. ubi Panorm. per illum text. extr. de jurejur. Et fit interpretatio contra eum, qui legem contractui dicere potuit aperiis, sed non fecit vulg. l. veteribus, 39. ff. de pact.

9. II. In publica & clandestina. Publica dicuntur, quando coram facie Ecclesiæ fiunt, secundum leges & consentientibus quorum inter est, ubicunq; etiam locorum. Etenim hæc res non penditur à loco, sed à formâ obligationis. Wesemb. in marg. ad Schneid. d. spons. n. 16. Beust. d. spons. c. 13. Clandestina, quæ remotis testibus, vel

vel ijs quidem adhibitis, sed in sciiis Parentibus, ut ut aliàs in publico contrahuntur. *Luther. in libell. von Ehesachen & in tomis Ien. Tom. sub fin.* & constituantur duplicia; unò modò strictè & propriè, quæ clam parentibus, remotis arbitris & nullis testibus celebrantur, *c. 1. 2. & 3. extr. d. cland. spons.* Alterò largè & impropriè, quando quidem in multitudine testium vel loco publico instituuntur sine parentum consensu.

10. Claudefina Sponsalia totaliter prohibita esse loquitur *t. t. d. claud. spons. r. aliter 1. ca. q. 1.* Si verò contracta sunt, non distrahuntur, quia sola clandestinitas per se non infringit, nec vitiat matrimonium, dum modò utraq; pars confiteatur se clam contraxisse: *c. 1. ubi Panorm. n. 2. d. cland. de spons.* semper tamen publica præferuntur clandestinis, *Pan. c. 2. d. cland. spons. Luth. in lib. von Ehesachen art. 2.* nisi his concubitus accesserit. *Cypr. de despons. cap. 10. §. 17. Beust. c. 14. & seq.*

11. III. In jurata & non jurata. Jurata Sponsalia dicuntur quando promissio de futuris nuptiis celebrandis est juramento vallata, *c. 2. & requisivit. d. spons.* Nonjurata Sponsalia, quæ sine juramento sunt contracta, *c. 1. & 16. extr. d. spons. duor.* Jurata si utraq; pars dissentit, solvuntur, *c. 2. extr. d. spons.* quia, quando homo promissionem remittit, Deus quoq; remittere censetur, *c. 1. c. 28. de jurejur.*

12. In Sponsalia purè, *c. 2. extr. h. vel in diem, c. sicut extr. d. t.* vel sub conditione contracta, veluti cum Saul Davidi sub conditione, si 100. præputia Philisthæorum illi attulisset, filiam Michol in matrimonium promittit, *1. Sam. c. 18. v. 25. & seqq.* & cum Laban filiam suam Jacob sub conditione, si septem annos illi inserviisset, despondet. *Gen. 29. v. 18. & seq.*

13. Conditiones verò Sponsalibus de futuro appositæ in quadruplici noscuntur esse differentiâ: Necessariæ, honestæ, turpes & impossibiles. Necessaria est, puta, si cras Sol oriatur, ducam te Vxorem. Quæ conditio, cum per naturam certò sit exitura, jam extitisse videtur & pro completâ habetur, *s. Conditio quæ c. 1. d. V. O. l. 37. ff. d. reb. cred. l. 18. ff. d. cond. indebit.* Honestæ est, puta, si frater tuus mihi dederit dotis nomine duo millia florenorum, accipiam te in vxorem. Quâ conditione existente Sponsalia sunt rata; eâ verò non existente, nullus est contractus matrimonii conditionalis *c. super eo & c. de illis, de condition. apposit.* Turpis est, si fuerit contra substantiam matrimonii, puta, ducam te si generationem prolis evites. Tunc Sponsalia



salia carent effectu & impediunt matrimonium. *c. ult. ubi Cujac. extr. d. cond. appof.* si verò aliàs turpis fuerit & matrimonii substantiæ non repugnauerit, puta, si hominem interfeceris, ea pro non adjectâ ex communi interpretum scholâ habetur, *d. c. ult. extr. de condit. appof. Coll. Jur. Arg. l. 23. t. 1. th. 9.* Denique conditio impossibilis est, si v. c. cælum digito attigeris, si mare ebiberis, ducam te. Quam conditionem itidem pro non adjectâ habendam communiter censent Interpretes. *d. c. ult. extr. d. cond. appof.* Minus rectè. Videtur enim talibus verbis utens potius ludere, joculari ac pro deridiculo habere puellam, quam ut animum se obligandi habeat. *Hillig. in Don. enucl. lib. 13. c. 19. lit. A. in not. C. J. A. l. 23. t. 1. th. 9.*

14. Causa Efficiens istorum Sponsaliorum est consensus voluntarius per verba de futuro, *l. 4. ff. d. Spons.* tam eorum qui conjunguntur, *l. Sponsalia II. l. si puella 6. l. filiosam. 13. d. r.* quam quorum sunt in potestate, *l. si in Sponsalibus 7. eod.* Quocirca, qui consentire non potest, non contrahit Sponsalia. Unde sequitur I. furiosum contrahere non posse, *l. furor. cum similib. ff. d. Spons.* II. neminem cogendum invitum ad contrahenda Sponsalia, *l. Sponsalia. l. 2. cum duabus leg. seqq. ff. d. Spons. c. 1. d. Spons. impub. cum ibi notatis per gloss. & Dd.*

15. Possunt autem Sponsalia inter eos contrahi, inter quos etiam nuptiæ possunt, *l. si quis tutor, §. quamvis, ff. d. R. N.* ætate tamen exceptâ *l. 14. ff. de Spons. l. 4. d. R. N.* ubi traditur, Sponsalia inter impubes rectè contrahi, dummodo septem aânis minores non sint. Impubes igitur, licet parens pro eo in tali ætate constituto contrahat, de necessitate non obligatur, nisi consentiat, cum ad annos discretionis pervenerit, vel concubitus interveniat. *c. ubi. 30. q. 2. c. 1. cum ibi notatis, & c. literas, & c. accessit, & c. duo pueri, d. despons. impub. c. 1. eod. tit. in 6.*

16. Quæro igitur hîc, An Tutorum vel Curatorum consensus in sponsalibus requiratur necessariò? Dist. inter Tutorem & Curatorem. Illius requiritur, ita tamen, ut contracta impedire non possit, *Beust. d. matr. c. 49.* Quia tutor personæ datur, *§. 2. l. d. tutel.* Hujus non æquè, *per l. 101. ff. d. V. O. l. 8. C. de nupt.* quia datur rebus, *§. 3. J. d. Curat.*

17. Materia circa quam versantur Sponsalia sunt nuptiæ futuræ: de quibus ultrò citròque arrhis datis conveniri solet, *W esembec. n. 5. ff. d. spons.* Sunt autem arrhæ res illæ, quæ dantur per personas contrahentes Sponsalia, sive publica, sive privata, *t. t. C. d. Spons. & arrhis,* vulgò

vulgò de Jure Saxon. nominantur *Mahlschak* / & nihil habent commune cum dote, vel donatione propter nuptias, *gloss. Landrecht lib. 1. art. 20. in verbo Morgengabe.* Quare si ve annuli, *l. 36. §. 1. d. donat. inter vir. & uxor. Plin. lib. 33. cap. 1.* si ve catenæ, nummivè cum aurei, tum argentei arrharum loco dentur, nò multum interest. *Wesemb. in 7. n. 5. h. Beust. de spons. c. 5. C. J. A. t. 1. th. 10. h.* & veteribus hunc morem fuisse docet Exemplum ministri Abrahami, quem in Sponsalibus Isaac. argentum & aurum loco Arrharum distribuisse legimus *Gen. 24.*

18. Forma Sponsaliorum perficiebatur olim in stipulatione. Nam qui uxorem ducturus erat non ab ipsâ sed ab eo, unde ducturus erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri, *l. 1. l. 2. ff. d. spons. Gell. 4. Noct. A. c. 4.* quam formulam etiam Plautus in *Pœnulo* profert, *act. 5. sc. 3. v. 36. & seqq.* Parvi autem refert in constituendis sponsalibus, per se & coram, an per nuncium vel per Epistolam, an per alium hoc factum sit, *l. fin. ff. eod.* constat enim & absenti absentem desponsari posse & hoc quotidie fieri, *l. sufficit 4. ff. eod.* Nec refert etiam, an arrhæ intervenerint vel non, quia sufficit nudus consensus si ve pactiones, *d. l. 4.* Ad majorem tamen sponsaliorum solennitatem atque probationem arrha cœpit posterioribus Imperatorum sæculis dari, *l. arrhis C. d. spons.* quæ plerumq; fit annuli traditione & subarrhatio dicitur *c. fide, d. spons. impub.* Dabantur enim olim vice arrharum tanquam pignora annuli, *l. cuicumq; s. pen. ff. d. institor. action.* Notandum I. hic sponsalia solo annulo dato non esse firma & rata, nisi verbis expressis significetur annulum in hoc dari, & illum mulier sponsaliorum nomine recipiat. *Aretinus cons. 17. & Imola in c. Tenor. de rejud.* Excipe, si annulus vel signa dentur, ut expriment consensum, veluti, si petenti virginem in Sponsam vel Uxorem virgo annuat & in argumentum matrimonii contracti dexteram præbeat, osculum imprimat, aut annulum accipiat, *Panorm. in cap. pen. n. 4. 6. extr. h. Zas. cons. 10. Covar. p. 2. d. matr. c. 4. Beust. d. Nupt. c. 42. Scheid. d. Nupt. C. J. A. h. t. 1. th. 7.* II. hîc silentio non prætereundum est requisitum constitutionis sponsaliorum, ut Personæ, de quarum conjunctionibus agitur, sibi si non de facie, saltem de famâ, vel alio aliquo modo sint notæ: quia in omnino ignotos consentire non censemur. *gl. in c. nec illud in v. uxor, 30. q. 5. Beust. d. Spons. c. 5. Cypr. d. Spons. c. 9. §. 18.*

19. Finis sponsaliorum est, ut nuptiæ contrahantur.

20. Effectus eorum de futuro sunt I. quod ea pars per quam
A 3 stat,



stat, quominus matrimonium contrahatur, arrhas acceptas amittat & ad duplum arrhæ teneatur, quando scil. est major 25. annis; si verò minor, solum ad arrhas quas accepit, tenetur *l. mulier pr. C. eod.* In terris Saxoniae pro majorene habetur, si annum 21. excessit, *ist mündig/wenn Er ein vnd zwanzig Jahr erreicht hat / Landrecht lib. I. art. 42. Lehnrecht / cap. 26 in pr. II.* quando post Sponsalia de futuro sequitur copula carnalis volente sponsâ, efficitur tunc perfectum matrimonium, *c. veniens, & c. is qui, de spons.* aliàs secus est, *c. contineatur, vers. si autem fuerit, d. spons. impub. & Dd. ibid.* Dico perfectum effici matrimonium, licet expressè de sponsalibus de præsentì non constet. Ex cõcubitu n. inducitur præsumtum matrimonium, ex præsumptione Iuris de jure, contra quam præsumtionem non admittitur probatio in contrarium, *c. is qui fidem, extr. eod. Schneid. part. I. n. 8. Inst. d. N. III.* quando oritur impedimentum, sive ut loquuntur, Iustitia publicæ honestatis, *c. 5. d. de spons. impub. & ibi Canonista Joan Sichard. ad l. I. C. d. spons. n. 19.* quæ sponsalia operantur, ut matrimonium inter consanguineos sponsi & sponsam, & inter consanguineos sponsæ & sponsum contrahi non debeat, *l. 12. §. 1. 2. l. 14. §. ult. in fin. d. R. N. §. 9. I d. Nupt. c. ad audient. ubi gl. in verbis habere non potest, in fin. & c. sponsam de sponsal. Beust. de spons. c. fin.* Quamvis n. copulâ nondum secutâ affinitas non sit contracta, publica tamen honestas contracta est, & in conjunctionibus, non tantum quod licet, sed quod honestum est, considerari debet. Nota hic, affinitatem quoq; ex sponsalibus, verbi proprietate cessante, habere locum per interpretationem in aliis juris nostri capitibus. *l. 6. §. 1. l. 8. d. grad. l. 3. 4. ad L. Pompei. d. Parric.* Sic n. in legibus (quæ excipiunt, ne Gener aut Socer invitus testimonium dicere cogatur) generi appellatione sponsum quoq; filiaæ contineri placuit: item Soceri patrem sponsi, *l. 5. d. test.* Sic sponsus agit de injuriâ sponsæ, *l. 15. §. 24. de injur. & vindicat adulterium l. si uxor. 13. §. 3. ff. ad l. Iul. de adult. l. propter violatam 7. Cod. eod. gloss. in c. quem admodum 25. verb. Sponsum, de jurejur. Deut. 22. v. 24. Novell. Leon. 74. Coll. I. A. d. spons. t. I. th. 15. Est & 4.* Effectus sponsaliorum, quod possint juramento firmari, ita, ut pars invita ad consumandum possit compelli, nisi obstet legitimum impedimentum, *c. ex literis extr. eod. Schneid. n. II. part. I. I. de Nupt. Beust. c. 67. d. spons.*

21. Dissolutio autem sponsaliorum fit I. utriusq; partis dissensu, sicuti contractus, qui nudo perficiuntur consensu. Nam nihil tam naturale, quam unumquodq; eo modo dissolvi, quo colligatum est.

est, *l. nihil tam naturale, ff. d. R. J.* quare sicut sponsalia solo consensu utriusque partis contrahi possunt, *l. 4. ff. de spons.* ita etiam dissensu dissolvi possunt, unius vel utriusque partis, si se invicem odisse ceperint, ne inde deterius quid accidat, *c. 2. de spons.* & hæc dissolutio sponsaliorum locum sibi vendicat, licet ea juramento firmata fuerint, *c. 2. ibique gloss. in verb. interpositione fidei, de spons. Cypr. d. spons. c. 13. §. 12. n. 2.* Dico dissensu unius, si nempe iusta causa intervenerit, *l. 1. Cod. de spons. c. ex literis Silviani 10. de spons.* veluti Gallicus, Epilepticus, Phreneticus, aut alius morbus incurabilis qui corporis copiam impediret, vel affinitas superveniat *c. 2. 7. & seq. & t. r. de eo qui cognov. consang. Cypr. de spons. d. c. 13. §. 82.* vel si Sponsa stuprum etiam violentum sit passa, *d. c. quemadmodum 25. de iurejur. ibique gloss. Beust. de spons. c. 10. in fin. Cypr. de spons. c. 13. §. 70. C. J. A. de spons. th. 16. II.* Propter absentiam sponsi, ubi tamen Sponsus expectari debet per biennium, vel triennium, vel ulterius. Per biennium si sit in eadem provinciâ, *l. 2. C. de spons.* Per triennium, si sit extraprovinciam, *l. liberum. 2. C. de repud. & judic.* Denique, si iustum impedimentum illum abesse cogat, quia tunc expectandus est, donec cesset impedimentum *l. sæpè 17. de spons.*

22. Incidit hic quæstio, si Sponsalia in Ebrietate sint contracta, quid juris? Distinguo inter modicam & talem, quæ mentis exilium inducit, sive immodicam. *Fom. in Disp. d. Nupt. th. 2. lit. e.* Illo casu subsistunt; hoc non æquè, maximè si dolo aut datâ operâ quis inebriatus esset, nisi rati habitio postmodum subsequuta fuerit. *Beust. c. 11.* ea enim actum retrò inutiliter gestum corroborat.

23. Visiis, quæ nuptias communiter præcedere solent, sequuntur nunc Nuptiæ ipsæ, & Connubium. Hoc quidem ab Hebræorum Nub & Nuba, quod ipsis augere, fructificare, germinare & procreare significat deducunt. *Cypr. d. spons. c. 1. §. 33. n. 4. Et de matr. c. 1. n. 1.* vel, ut plerique volunt, à nubendo, hoc est, ab operiendo, tegendo, velando. Nubere enim operire & tegere significat, unde & nubes dictas Varro affirmat, quod cælum tegant. Solebant enim veteres sponsas, quas adducebant Sponso, pudoris gratiâ obnubere, hoc est, obvelare, seu obtegere, significantes verecundiam nuptiis præire debere. *Tertul. lib. de virgin. veland. ex Ambros. in Epist. ad Cor. 1. c. 11. inquit:* Mulier ergo debet velare caput, ut ostendatur subjecta. Et quia prævaricatio per illam inchoata est, hoc signi debet habere, ut in Ecclesiâ non habeat caput liberum, sed velamine tectum, sicut de Rebeccâ legimus, quod viso Sponso Isaac è Camelo desiliens, mox sese obtexit,

rit,

rit, verecundiæ ritum observans. *Gen. 24.* Debent igitur nuptiæ incedere velatæ, in symbolum pudoris ac verecundiæ subjectionis, ut sciant se viro esse subjectas, *c. femina. c. nec illud. 30. q. 5.* Apud Romanos plurimas fuisse in usu ceremonias & ritus nuptiarum, quos hic recensere nimis longum esset, videre est ex Ciceron. *lib. 1. de divinat. Gell. lib. 18. c. 6.* & multis aliis. Verum hic laudabilis mos non amplius hoc nostro seculo observatur. Sumitur Nuptiarum vocabulum variè, Et quidem I. pro festivitate nuptiarum, *l. 24. C. d. N. S. pen. Inst. eod. l. 49. pr. ff. sol. matr. l. 1. pr. ff. d. pact. dot. al. l. pen. §. 1. ff. d. donat. int. vir. & uxor.* II. Pro sponsalibus de præsentì, quod Canonistæ sequuntur. III. Pro matrimonio, concubitu, consortio, s. conjugio ipso, sicut hoc loco, videatur *Cajus lib. 1. t. 4. §. 1. & Cypr. lib. 1. de matr. c. 1. §. 2.*

25. Nuptias definit Imperator Justinianus *in §. 1. de patr. pot.* quod sint viri & mulieris conjunctio individuum vitæ consuetudinem continens. Ad hunc fere modum, & si verbis non nihil mutatis loquitur quoq; Jureconsultus: Nuptiæ sunt conjunctio maris & feminae consortium omnis vitæ divini & humani Juris communicatio, *l. 1. ff. de Nupt.*

26. Dicuntur nuptiæ conjunctio I. corporum animorum & familiarum, 2. Viri & Mulieris, eò quod utriusq; usus ad sobolis procreationem necessarius sit, *l. 14. Cod. de leg. hered. l. maximum vitium 4. C. de lib. prat.*

27. Damnamus igitur ex ipsâ definitione I. Sodomiam, quæ propter nefandum humani seminis abusum pœnam meretur & olim pœnâ gladii puniebatur, *l. cum in virum C. ad L. Jul. de adult. Nov. 77. Nov. 141.* hodiè verò ex constitut. Caroli V. Imperatoris combustione. *Beust. part. 2. quest. 2.* II. πολυγαμίαν (non eam, quando quis successivè plures ducit Uxores, aut unà pluribus nubit, quanquam & hæc indigna olim habita, *Liv. decad. 1. lib. 10. Val. Maxim. l. 2. c. 1. vid. l. 3. §. ult. C. de sum. Trin.* Sed illam quando plures viri uni uxori, sive plures uxores uni viro junguntur) quia cum DEI primævâ institutione pugnat, *Math. 19. v. 4. de quâ Donel. lib. 13. comment. c. 18.* & omni jure prohibita est, *Gen. 1. v. 27. Gen. 2. v. ult. 1. Cor. 7. §. 6. & 7. Inst. d. N. l. 1. ff. d. his qui notantur infam. c. 29. c. 24. q. 3. c. 8. extr. de divort.* Et hodiè quoq; πολύγαμοι capitali pœna afficiuntur, per Caroli V. Imperatoris Constitutionem, *in der Peinlichen Halsgerichts Ordnung cap. 121.*

28. Indivi-

28. Individuam vitæ consuetudinem continens &c. Hoc est, indissolubilis conjunctio. Quibus verbis innuitur, quod matrimonium eâ mente contrahatur, ut nunquam dirimatur. *l. 1. ff. d. jur. dot. Cujac. in not. poster. & Borch. in tract. d. grad.* Et hic distinguitur concubinatus à nuptiis. Is enim nec inicitur hâc ratione, nec earum virum est, ut non liceat alteri ab altero, cum velit, invito, quoq; discedere, *l. 1. in pr. & tot. tit. de concubin. Donell. 13. comment. c. 18.* Sæpeta-
men per accidens contingit, ut matrimonii nexus dissolvatur, *t. t. ff. d. divort. & rep. l. 32. §. 13. ff. d. don. int. vir. & uxor.*

29. Ex his præmissis quæro, I. an Matrimonium sit contractus? Nego. Quia contractus pariunt obligationem, & obligatio actionem ad aliquidandum vel faciendum, quod pecuniâ lui præstariq; possit. *l. 9. §. 2. ff. de stat. lib.* Quod Nuptiis non convenit.

30. An inter conjuges requiratur consensus in religione? Affir. Christianus enim cum non-Christianâ nuptias contrahere non potest, *l. 6. C. de Judæ. & Cælic. can. Cave 15. 28. caus. q. 1.* idemq; dicendum de iis hæreticis, quibus Imp. Christianorum Constitutionibus interdicta est omnis legitima conversatio cum Christianis, *de quib. l. 21. C. d. heretic. & Manichæ.* Secus olim fuit temporibus primitivæ Ecclesiæ, ut apparet ex *1. Cor. 7. v. 12. & seqq.* quibus ob Christianorum paucitatem inter fidelem & infidelem nuptiæ constiterunt: idq; eâ ratione, quod spes esset infidelem à fidele conjugem convertum iri, *1. Petr. 3. v. 11.* eaq; spes etiamnum hodie inter diversæ religionis conjuges matrimonium sustentat. *C. J. A. l. 23. th. 16. n. 14.*

31. Divisio Nuptiarum varia est, I. quædam sunt justæ & legitimæ, quædam injustæ & illegitimæ, *l. 13. §. plane ff. ad L. Jul. l. 24. ff. de stat. hom. l. 37. §. fin. ff. ad munic.* Justæ & legitimæ sunt, quæ secundum præcepta legum contrahuntur *pr. Inst. h. t.* quædam injustæ & illegitimæ, quæ contra legum præcepta fiunt, contrahuntur, *§. si adv. ca. 12. eod. vid. Ulpian. in fragm. tit. 5. Caj. in fragm. t. 4. §. 1.*

32. II. Sunt quædam licitæ, quædam illicitæ. Licitæ, quæ neque naturâ, neq; lege, neq; canone prohibentur. Illicitæ, quas natura, Lex, vel Canon prohibuit. Et hæc vel nefariæ vel incestuæ, *l. 37. ff. d. min. l. 5 §. 1. ff. de cond. sin. caus. l. 56. & l. fin. ff. de R. N. l. 38. §. 2. 3. & 7. ff. ad L. Jul. de adult. t. t. C. de incest. & inutil. nupt. Nov. de incest. & Nefar. nupt.* Nefariæ sunt, quæ contrahuntur I. inter parentes & liberos in infinitum. *l. fin. ff. d. R. N.* II. inter fratres & sorores, *l. 54. l. 14. §. 2. ff. d. R. N.* III. inter vitricum & privignam,

B

gnam,

gnam, aut privignæ filiam: inter privignum & novercam, l. I. §. pen. ff. de concub. inter socerum & nurum, inter generum & socrum, l. fin. ff. de cond. fin. caus. l. fin. ff. ad L. Jul. de adult. Incestæ propriè dicuntur, quæ tam inter consanguineos in primo & secundo gradu (is enim gradus divino & humano jure prohibitus est, Levit. c. 18. §. fratris vero Inst. d. N.) quam inter adfines (ut est Socrus, privignus, nurus, noverca, uxor patru, l. ab. incestis. C. d. incest. Nupt.) invicem contrahuntur.

33. III. Conjugium jure Canonum aliud est legitimum & non ratum; aliud non legitimum & ratum; aliud legitimum & ratum simul, can. fin. 28. caus. q. 1. Illud quod quidem juxta leges contrahitur, ac prohibitu dissolvi potest, qualiter fit inter Judæos. Istud quod solennitate legum destituitur, nempe consensu Parentum & tamen, dato repudii libello ad instar Ethnicarum nuptiarum, non dirimitur: hoc quod fideles, servatis legum & canonum solennitatibus celebrant. *Wesemb. in π. ff. d. R. N. n. 2.*

34. IV. Aliud dicitur Initiatum, l. 30. ff. d. R. J. aliud Consummatum, quando scil. carnalis copula accesserit ad consensum, quorum terminorum explicationem pl. habet *Wesemb. d. l.*

35. Causa Efficiens Nuptiarum sive justis matrimonii est ipse DEUS, Gen. 1. & 2. Matth. 19. v. 4. & seq. verum si quæramus, an valeant nuptiæ? Primitus considerandum venit, an ii, qui nuptias contrahunt, habeant contrahendi facultatem, arg. l. 4. ff. qui test. fac. poss. §. fin. Inst. d. J. N. G. & C. l. 44. ff. de Ædil. Edict.

36. Possunt autem contrahere nuptias omnes, qui non prohibentur. l. nec non §. quod ejus. ff. ex quib. caus. major. l. 43. §. 1. ff. de Procur. l. 1. §. 1. ff. de test. l. 12. ff. de judic. l. 8. ff. de accusat. §. 1. Inst. qui sui vel alien. Jur. §. 1. Inst. de tutel.

37. Prohibentur autem quidam lege, quidam naturâ.

38. Lege prohibentur I. ratione libertatis, Servi. Hi enim si jungantur cum liberis, non nuptias sive connubium, sed contubernium faciunt, l. Proculus 67. de Jur. dot. l. adoptivus 14. §. 3. de R. N. l. 3. C. de incest. & inutil. nupt.

39. II. Ratione Civitatis, Peregrini, qui non sunt e numero civium Romanorum, pr. Inst. de Nupt, nisi fortassis Jus civitatis impetrent. sed si 6. §. solemus 2. ff. d. hered. instit. Senec. lib. 4. de benef. c. 35. Unde ex peregrino & cive Romanâ contra regulam Juris: partus ventrem sequitur, nascuntur peregrini, ex lege, quæ dicebatur Mensia, de quâ

quâ Ulpianus tit. 5. §. 8. Quia verò hodie in orbe Romano qui sunt, Cives Romani effecti sunt, l. 17. ff. de stat. hom. Nov. 78. c. 5. commodis quoq; civium Romanorum fruuntur.

40. III. Ratione dignitatis vir Senatorius, aut aliâ dignitate præditus, ejusq; liberi ex L. Juliâ de maritandis ordinibus, in matrimonium ducere libertinam, scenicam vel scenicæ filiam, tabernariam, tabernarii, lenonis aut arenarii filiam, vel judicio publico damnatam, l. 23. l. 27. l. 31. l. 32. & 23. C. de nupt. Itemq; patrona, ejus filia nubere liberto, l. oratione 16. l. lege Papiæ 23. l. 27. l. 44. ff. d. R. N. Quod tamen hodie novo Justiniani Jure est mutatum. Novell. 78. cap. 3. Nov. 89. cap. 15. Nov. 17. cap. 6.

41. Prohibentur IV. quidam ratione administrationis publicæ, quidam quasi publicæ.

42. Ob publicam administrationem, Præses sive Magistratus provinciales, ne ex eâ Provinciâ uxorem oriundam vel ibi domicilium habentem ducerent. l. si quis 38. ff. d. R. N. Donell. lib. 13. c. 19. ibiq; Hillig. lit. S. quamvis sponsalia rectè contrahant l. si quis officium l. 65. ff. d. R. N.

43. Ob quasi publicam administrationem Tutor aut Curator pupillam aut adultam suam, sibi aut filio in matrimonium conjungere non potest. l. 63. l. 59. l. 64. §. 1. ff. d. R. N. t. t. C. de interd. matr. inter pupill. & tut. nisi à patre tutori aut heredi ea sit desponsata destinatave, aut testamento nominata, l. 63. l. 66. ff. d. R. N. vel nisi Tutor rationes reddiderit & tempus restitutionis effluxum sit, l. 65. ff. d. R. N. Filiam tamen Tutoris pupillo rectè nubere juris est expediti, l. 64. §. fin. ff. de R. N. l. libertum in fin. l. curatorem C. de interd.

44. Naturâ prohibentur V. quidam ob animi vel corporis defectum vel ob necessitudinem.

45. Ob animi defectum prohibentur I. Furiosi, l. 14. de spons. c. ubi non est. c. accessit, extr. de despons. impub. l. furor. 8. ff. de spons. Sive enim stipuletur furiosus, sive promittat, nihil agi naturâ manifestum est, l. 1. §. furiosum 12. ff. d. O. & A. quia non sentire is adeoque nec consentire potest, l. 1. l. 8. §. unius 2. ff. de option. & Elect. legat. quippe qui brutis æquiparatur, l. sed etsi 5. §. & ideo. 2. ff. ad l. aquil. Infantibus. l. infans 12. ff. ad l. Cornel. de sicar. Ignorantibus, l. si furioso 12. ff. de reb. cred. imò Mortuis, l. bonorum 24. §. 1. ff. ratam rem haberi, Gail. lib. 2. obs. 110. num. 21. Loquor autem de eo furioso, qui continuâ mentis alienatione, sine intervallo, omni intel-

lectu caret, l. 14. ff. de off. pres. l. 27. §. 7. ff. sol. matr. qui à negotiis tam publicè quàm privatim gerendis rectè cispellitur. Secus est, si dilucida intervalla habet, eo tempore, quo furor intermittit & cessat. Nam tum ad sanam mentem reversus censetur & consequenter consentire potest, d. l. 14. ff. de off. pres. l. si cum dotē 22. §. si maritus 7. ff. solur. matr. Cypr. de spons. c. 16. §. 59.

46. II. Infantes & Impuberes, l. in spons. 14. ff. de spons. Pubertatem hic non ex inspectione & habitu corporis, ut Pontificii, c. puberes, extr. de despons. impub. & Jus Saxon. Landrecht lib. 1. art. sed ex fine ann. 12. in fœminis, 14. in masculis, metimur, pr. I. h. t. l. 4. ff. d. R. N. l. 68. ff. de vulg. & pupill. subst. l. 13. in fin. ff. de tutor. dat. l. ult. C. Quand. tutor. vel Curat. esse desin.

47. Ob corporis defectum prohibentur Impotentes, qui ad generandum perpetuò sunt inepti, §. 9. Inst. de adopt. l. in causis C. de repud. l. 39. §. 1. ff. de jur. dot. quia matrimonii finem consequi non possunt, c. 2. & tot. tit. extr. de frigid. & males. vid. Nov. 22. ca. 7. Nov. Leon. 98. Secus est in Spadonibus dd. ll. vid. Alb. Gentil. de nupt. lib. 3. cap. 2. Cypr. de spons. c. 9. §. 13. Beust. de Matr. c. 14.

48. Ob necessitudinem prohibentur quidam ratione Cognationis, vel Adfinitatis, vel publicæ Honestatis.

49. Ratione Cognationis (quæ vel directa inter Adscendentes & Descendentes, vel transversa inter Collaterales) duæ sunt species: Una Naturalis, quæ est cognatio personarum, quæ eodem sanguine natae sunt, l. non facile 4. §. 1. & 2. ff. de grad. l. 1. §. 1. ff. unde cognat. Altera Civilis, quæ per adoptionem inter adoptantem, ejusque familiam & adoptatum inducitur, d. l. non facile 4. §. 2. ff. de grad. His Jus Canonicum addit Tertiam, quæ vocatur spiritualis, veluti compaternitas, quæ per Baptismum inter testem Baptismi constituitur, sive Sponsorem in Baptismo & personam baptizatam ejusque Parentes, t. t. de cognat. spir. Moribus tamen nostris factam ejusmodi cognationem spirituales nullum creare impedimentum asserit Wesemb. in π. ff. de R. N. n. 4. in fin.

50. Cognati lineæ directæ, veluti Parentes & liberi matrimonio jungi vetantur. Levit. c. 18. v. 7. Deut. 22. in fin. I. Cor. I. v. 1. §. ergo non omnes, Inst. de Nupt. Hinc inferunt Adamum protoplastum, si resurgeret mansurum cœlibem, quum quia omnes ab eo descendimus, uxorem cum lege habere non posset. Zepper. in tr. de LL. Mosaic. lib. 4. c. 19. Schneid. ad t. de nupt. in tr. de arbor. canon. n. 4. Aded autem secundum

secundum regulam; in lineâ rectâ seu inter adscendentes & descendentes prohibita sunt nuptiæ in infinitum *l. 53. ff. de R. N. l. nemini 17. C. d. nupt. §. 1. I. de nupt.* ut jungi non possint; licet per adoptionem parentum liberorumve loco esse cœperint, etiam dissolutâ per emancipationem adoptione. *d. §. 1. Inst. de nupt. l. 55. l. 14. d. R. N. l. 23. in. fin. ff. de adopt. l. 15. C. de nupt. l. 4. ff. de grad.* Deinde in contrahendis nuptiis naturale Jus & pudor inspiciendus est, *l. adoptivus 14. §. 2. ff. d. R. N.* quod autem naturæ fœdus non permittat cum matribus & filiabus, facit *l. eum qui 19. C. de Episc. & Cleric. Nov. 12.* Nam & bruta nefandos istos concubitus aspernantur. *Nov. 12. cap. 1. Aristot. lib. 9. de animal. c. 74.* Hodietale quippiam committentes gladio plectuntur, ex *Constitutione Carolina, Peinliche Halsgerichts Ordnung / art. 17. §. So einer Unteusch. Et Electoris Augusti Saxonica Constit. 22. p. 4.*

§1. Cognatilineæ transversæ in gradu secundo, veluti frater & soror, conjungi non possunt; sive ab eodem patre eademq; matre nati fuerint, sive ab altero eorum, *Levit. c. 18. v. 9. & c. 20. v. 17. §. inter eas quoq; 2. Inst. d. nupt. l. libertinus 8. l. sororis 39. l. fin. ff. d. R. N.* quia, cum frater & soror sint viscera corporis unius & ejusdem, naturâ separata, non debent utiq; quos natura sejunxit conjungi.

§2. Movetur hic quæstio, si frater sorori se conjungit, censeaturne is commisisse incestum? Ita. Hoc enim congruit exemplis tam divinis quam prophanis, *Levit. 18. v. 9. & c. 20. v. 17. Deut. 27. v. 22. Ezech. 22. v. 10. Marc. 6. v. 18.* ubi expressè conjugium prohibetur. Et Justin. *lib. II.* tradit, Darium postremum Persarum Regem cum sorore suâ incestum commisisse, quod & de Ptolomæo Philadelpho Ægyptio Rege scribit Strabo *lib. 10. Beust. part. 2. cap. LIX. de matr.* Unde etjam Pomponius I. C. respondet *in l. 8. ff. de R. N. Libertinus libertinam matrem aut sororem uxorem ducere non potest, quia jus hoc moribus, non legibus est introductum; Moribus autem introductum, arg. l. sororis 39. §. 1. ff. de R. N.* & quamvis apud complures gentes licuerit, fratres cum sororibus misceri, sicut & de Ægyptiis Herodian. *lib. 1. Persis, inter quas Cambyse duas sorores suas duxit, Herodot. in Thalia & Plutarch. in Artaxerxe, Atheniensibus & aliis quibusdam, Tiraquell. in ll. part. 7. n. 37. & seqq; testantur; non tamen corruptus usus gentium quarundam Jus aliquod facit. Jus enim Gentium vocamus, quod naturalis ratio constituit, dum dicitur omnibus & singulis hominibus quid honestum aut turpe, quid faciendum aut omittendum sit, §. 1. Inst. de I. N. G. & C. & l. 2. 3. & 9. ff. de J. & J. Nec etiam movet, quod*

inveniamus interdum nuptias, quæ fuerunt inter filios & filias Adami veluti fratres & sorores. Id enim factum, inquit Augustinus, quando est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente, *lib. 15. de civitat. DE I c. 16. Beza de repud. divort. pag. 46. Borch. de grad. pag. & III.*

53. Fratris quoque vel Sororis filiam uxorem ducere non licet §. 3. *Inst. de nupt.* Ratio, quia hæ personæ proximè lineam rectam attingentes inter se collatæ parentum & liberorum loco sunt: & proinde quocumque gradu sint, conjungi non possunt, seq. §. 5. *d. t. & l. sororis 39. pr. ff. de R. N. Ampliſſ. & Conſultiſſ. Dn. Prasfes D. meus summo observantia cultu venerandus* in notis suis *Inst. ad d. §. 3. h. t.* Sic prohibentur patruus & neptis ex sorore, amita & nepos ex fratre, matertera & nepos ex sorore, *d. §. 5. l. de nupt. l. 17. §. amitam ff. de R. N. l. nemini, Cod. d. R. N. Quod & in cognatis ex adoptione observatur, §. 2. l. d. N. d. l. 17. ff. d. R. N. durante scil. adoptione.*

54. Cognati lineæ transversæ in quarto gradu conjungi non prohibentur, veluti fratrum liberi, qui patruales, vel sororum, qui consobrini, vel fratris & sororis, qui amitini dicuntur, tam jure divino, *Gen. 29. v. 10. Exod. 6. v. 20. Num. 36. Tob 7.* quàm Iure civili, §. *duorum 4. Inst. d. N. l. non solum 67. §. 1. d. R. N. l. celebrandis 19. C. d. N. l. uter ex fratribus 23. cum l. seq. ff. de cond. inst. Donell. lib. 13. comm. c. 19. ibiq. Hill. lit. H. Treutl. vol. 2. th. 2. lit. E. Maus. ad §. duorum Inst. d. Nupt. ibique Wesemb. Giph. Mynsing.* Quo ipso constitutum videtur, quòd extra personas, quæ parentum liberorumque locum obtinent, conjugium quarto gradu fuerit promissum, *arg. l. per adoptionem 17. ff. h. t. l. 3. l. non solum 67. §. 1. ff. eod. l. 23. & seq. de cond. instit. l. Lucius 78. §. filiam 8. ad Sctm. Trebellia. & præsertim l. 2. C. de inst. & substit. Quod tamen Jure Canonico secus est, c. pen. & ult. de consang. & adfin. quo hodie utimur.*

55. Quæro hic, si quis hodie consobrinam patrualem vel amitinam in matrimonium duxerit, incesti pœnam an sustinere debeat? Nego, primò, quòd ea, quæ jure Naturæ, divinisque præceptis permittuntur *Gen. 29. v. 19. Lev. 19. v. 18. Num. ult. Iosue 15. v. 17. Iudic. 1. v. 13. & seqq. 1. Chronic. 24.* incesta videri non debeant. Deinde, quod lege permittente fit, pœnam nõ mereatur, *l. Gracchus 4. C. ad leg. Jul. de adult.* Tertio, quòd leges civiles à Christianis Impp. latæ has nuptias permittant. Denique etiam quòd nuptiæ istæ exemplis tam sacris quàm profanis confirmantur. Si tamen Magistratus Edicto vel lege quadam speciali

speciali nuptias istas prohibeat, credo, extra ordinem arbitratie (non tamen capite) aliquem puniendum esse, at non ob incestum, qui vix videtur commissus; sed ob edicti vel legis transgressionem.

56. Prohibetur ulterius matrimonium ob flagitii enormitatem inter raptorem & raptam *l. 1. C. de rapt. virgin. Nov. 143.* quod tamen jus Canonicum male improbat, *c. pen. & ult. extr. de rapt. in cœd. & inter delicta minora recenset, prout pluribus demonstrat Vir Consultis. & Amplis. D. Cyr. Herdesianus, Academiae Francofurtanæ PP. Præceptor meus perpetim colendus in Cynosurâ Juris Canon. pag. 60. 61.*

57. Nunc transeamus à Consanguinitate ad Adfinitatem, quæ est necessitudo, quâ duæ inter se diversæ cognationes jure civili per nuptias *l. non facile 4. §. sed quoniam 3. ff. d. grad.* Jure autem Canonico quovis coitû *c. discretionem & cap. tue fraternitatis 10. de eo qui cogn. consang. Schneidevv. de nupt. ad arbor. affin. n. 5.* copulantur: & altera ad alterius cognationis finem accedit, id est, utriusque cognationis fines in unum locum quasi conferuntur, *vid. Cujac. in notis poster. Inst. d. N. n. 7. Vult. comment. eod. n. 50. pr.*

58. Ratione autem Adfinitatis conjungi prohibentur Adfines, qui Parentum ac liberorum loco sibi sunt (quod & in adoptione in adfinitate per adoptionem quæ sitâ obtinet *l. 14. pr. & §. 1. ff. d. R. N.*) licet adfinitas alterutrius conjugum morte sit extincta, *l. 15. ff. d. R. N. §. 6. & 7. l. de N. l. liberi C. eodem.* uti sunt Socer & Nurus, socrus & gener, vitricus & privigna, noverca & privignus, levir, qui mariti frater, glos seu mariti soror, sororius, qui sororis meæ maritus, fratria, quæ fratris mei uxor, *l. 14. §. nunc videamus. l. 40. ff. d. R. N. l. 16. ff. de cond. sin. caus. l. 38. ff. ad l. Jul. de adult. l. fratris. l. fin. C. de incest. nupt.* quæ tamen prohibitiones tantum in primo adfinitatis genere locum habent, non in secundo & tertio, *cap. pen. non debet, extr. de cons. & affin. W esembec. in π. de R. N. n. 4. Schneidevv. com. Inst. de nupt. rubr. de arb. affin. n. 7.*

59. Adfines lineæ transversæ in secundo gradu conjungi prohibentur, unde fratris mei præmortui uxorem ducere non possum. *Levit. 18. v. 16. & c. 20. v. 21.* cum quibus consentit Novi fœderis dispositio *Matt. 14. v. 4.* ubi Johannes ad Herodem: Non licet, inquit, habere tibi uxorem fratris tui, & *Matt. 8. v. 18. l. fratris §. l. licet quidam 8. l. ab incestis ult. Cod. de incest. & inutil. nupt. Beza de repud. & divorc. pag. 68. & seqq.* Non immeritò igitur reprehendendi sunt Ægyptii, qui fratrum suorum relictas viduas matrimonio sibi copularunt, *d. l. licet quidam*

adam 8. C. de incest. & inutil. nupt. merito item Archelaus, quod Glaphyram Alexandri fratris sui conjugem & liberorum ex ea susceptorum matrem uxorem duxerit, Joseph. lib. 18. antiq. c. 19. & lib. 2. cap. 7. de bell. Judaic.

60. Duo autem Fratres duas sorores, vel alter frater alterius sororem ducere non prohibetur; ratio est, quia inter cognatos viri & mulieris nulla contrahitur adfinitas; item mariti filius ex uxore alia, novercae filiam ex marito alio ducere non vetatur, §. 8. I. d. N. l. 34. §. 2. ff. d. R. N. l. 134. ff. d. V. S.

61. Ratione publicae honestatis prohibetur Pater filii sui Sponsam ducere, & filius Sponsam patris, §. 9. I. d. N. l. 12. §. 1. 2. 3. l. 14. §. ult. ff. d. R. N. cap. literas 4. de despons. impub. item nec fratris Sponsam aut Sponsae sororem ducere licet. l. pen. & fin. C. de incest. nupt. Nec uxorem Patruum, Levit. 18. v. 14. & c. 20. v. 20. Et si enim adfinitas extinguatur alterius conjugum morte, quod ad alias res; non tamen, quod ad matrimonium attinet, Barr. in gl. l. cui eorum §. ad fines ff. de postul. gloss. in c. infames §. adfinitates, 3. q. 7.

62. Non autem sufficit personas tales esse ut conjungi & consentire possint; sed requiritur etiam ut actu consentiant: & interdum cum jungendis etiam alii. Requiritur enim Nuptiarum consensum. I. Contrahentiū l. 2. l. 16. ff. d. R. N. quia Nuptias non concubitus, sed consensus facit, l. 15. fin. de cond. & demonstr. l. 30. ff. de R. I. l. 33. §. si mulier ff. de donat. inter vir. & uxor. Et matrimonia debent esse libera l. 2. & 21. ff. de R. N. l. 12. & 14. C. de nupt. D. Luther. in script. Das die Eltern die Kinder zur Ehe nicht zwingen. Schneidev. comm. Inst. de nupt. part. 2. n. 41. & seq. Coactiones enim plerumque difficiles solent habere exitus, c. requisivit 17. de Spons. quare, licet pater sub certa poena promittat alicui dare filiam in uxorem, quia filia nolens non cogitur consentire, poena a patre vel filia exigi non potest, c. gemma, de Spons. & l. Titia. ff. de Verb. oblig. vel licet juramento has & alias nuptias promiserit, juramentum tamen filiam non constringit, l. 7. §. 16. ff. de pact. can. si verum, 31. Caus. q. 2. Consensus etiam debet esse verus & non simulatus. Simulatae enim nuptiae nullius sunt momenti, l. simulata 30. de R. N. l. 54. d. O. & A. l. 13. C. de N.

63. Quod si Nuptias contrahentes in sacris paternis sunt constituti, requiritur II. Consensus Parentum in quorum sunt potestate, jure I. divino, Gen. 2. 21. 24. 27. 28. 29. & 38. Exod. 20. 21. & 34. v. 16. Deut. 6. Judic. 4. v. 2. & 3. 2. Reg. 13. Jer. 29. Tob. 6. v. 17. & seqq. II. Naturali

turali, *pr. Inst. de N. l. 2. ff. de J. & J. l. 3. ff. de injus voc. Godofr. ad l. 25. de R. N. III. Canonico, c. 1. c. 3. ca. 30. q. 5. c. 12. c. 13. c. 37. q. 2. s. 38. q. 1. IV. Civili, l. 2. l. 35. ff. de R. N. l. 12. l. 14. & l. 20. C. de nupt. l. unic. §. 1. Cod. de rapt. Virgin. Excipe I. Si parens furiosus aut mente captus sit, l. si nepos 9. ff. de R. N. & l. 25. C. de Nupt. II. Si parens captus sit ab hostibus, aut ita absit, ut ignoretur ubi sit & an sit. Quo tamen in casu filius post triennium demum matrimonium potest contrahere, dummodo eam ducat, vel filia tali nubat, cujus conditionem certum sit patrem non repudiaturum, d. l. si nepos 9. §. 1. cum ll. duabus seqq. ff. de R. N. III. Si filius sit emancipatus, l. 25. ff. eod. l. 3. §. 5. ff. de bon. poss. contr. tabb. non item si filia sit emancipata, l. 18. & l. 29. Cod. de Nupt. IV. Si Pater injuriâ prohibeat filium ducere Uxorem, aut conditionem non quærat, l. capite 19. ff. de R. N.*

64. Quæro. An idem dicendum sit de matre? de Jure Civil. Nego. Eorum enim consensus exigitur, quorum potestati liberi subsunt, l. 2. ff. de R. N. Secus est de Jure divino, (tam quoad filium, quàm quoad filiam, maximè post obitum patris. Tob. 4. & Gen. 21. ubi dicitur, Matrem Ismaelis filio Uxorem dedisse de Terrâ Ægypti, per quartum præceptum;) ac naturali; quibus par utrique Parentum debetur honos ac reverentia, l. 6. ff. de in Jus voc. & etiam de Jure Civili quoad filiam. l. 1. C. de N. l. 20. C. eod. Beust. de matr. part. 2, c. 47.

65. Q. An præter avi paterni consensum etiam necessarius sit Patris? Dist. Aut liberi post mortem Avi in patris potestatem recasuri, ipsique suum heredem edituri sunt, aut non. Isto respectu requiritur præcisè *in pr. I. de nupt.* quæ verba cum Effectu accipimus, ut designent potestatem actualem & potentialem. l. 9. & *ibid.* §. 1. ff. de R. N. Invito enim suus heres non debet agnasci, §. *sed si quis*, l. de adopt.

66. Q. An Tutorum & Curatorum consensus requiratur? Resp. Curatorum consensum non requiri, manifesti Juris est, l. in copulandis 8. C. de Nupt. l. sciendum ff. de R. N. De Tutoribus verò nil atinet quærere; cum, qui sunt in tutelâ, videl. impuberes, contrahere nuptias legibus prohibeantur. *Wesemb. n. 8. ff. de N.*

67. An rati habitio accedens valeat & sufficiat? Sunt qui affirmant, *Schneidm. Wesembec. Bronchorst. cent. 3. assert. 4.* & alii quidam *ad pr. I. de N.* Sunt & qui negant, quibus & ego consentio autoritate *d. pr. I. de N.* ubi text. disertè inquit: Jussum Parentum præcedere debere. Verbum enim debere necessitatem importare, *cap. oblatæ,*

extr. de appell. cap. ut fam. desentent. excom. gloss. in cap. attendentes. in clement. de stat. monach. in verb. debeant. & l. II. ff. de stat. hom. quod si ab initio adfuerit consensus, nuptiæ ab initio statim justæ sunt: si verò post accedat, tum demum justæ fiunt nuptiæ, cum jussum Parentis supervenit: ita, ut hoc jussum Parentis nuptias justas semper antecedit.

68. Nuptiæ sine consensu contractæ an dissolvendæ? Dist. aut liberi sunt minorenes, & res adhuc est integra & non dubitatur, quin possint, etiam si nulla dissentendi causa sublit, *l. 5. C. de repud. S. pen. I. de nupt.* Aliàs enim quilibet honesti cujusvis viri filiam blandimentis permulcere & ad se allicere posset, quod non ferendum. *Cothm. consil. I. num. 198. & seqq.* Quod si verò liberi minorenes nihilominus de facto commisceantur, etiam cum paribus, possunt justè exheredari, *Beust. tr. c. 46. Hæn. Instit. 3. thes. II. Treutl. vol. 2. disp. 6. th. 5. lit. c.* Aut sunt majorenes & prius requisiverunt consensum Parentum, sed frustra, & tunc si turpibus jungantur, itidem possunt, aliàs non æquè, *l. vidua, C. de N.*

69. An idem sentiendum de filio? Affirm. *arg. l. 3. S. 5. ff. de bon. poss. contr. tabb.* militat enim utrobiquè eadem ratio, injuria nimirum sui heredis, quæ patri invito fieri non debet. *S. sed si quis I. de adopt.*

70. Cùm verò matrimonia non debent esse coactiva, sed liberissima, *c. cum locum, de spons.* sequitur, ut quia consensui nihil tam contrarium, quàm error & metus, *l. II. pr. de R. J.* si quis horum intervenit, impediri conjunctionem.

71. Quæro igitur I. an metus officiat matrimonio? Aff. Si sit facti & talis, qui in constantem virum fœminamque (non tamen eundem metum requirimus in fœmellâ, quem in masculo, quia fœminæ formidolosæ sunt, *c. cum locum de Spons.* & viris timidiores) cadere possit, *l. 6. & t. t. ff. quod metus caus.* licet jusjurandum accesserit. Si verò sit metus reverentialis, non impedit matrimonium, *arg. l. si patre 22. ff. de R. N.* nisi metus facti interveniat, veluti si pater verberibus filium vel filiam cogat.

72. Q. II. An matrimonium per errorem contractum valeat? Sub distinct. Affir. Aut enim error committitur I. in personâ, puta, si quis credat contrahere cum Evâ, & contrahit cum Sarâ: hic error impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, cùm desit principale requisitum, nimirum consensus; qui matrimoniū efficit

efficit, *l. nuptias ff. d. R. J. c. tua, ibi, nec consensit in personam. Ext. de spons.*
 Vel committitur Error II. Conditionis seu Status deterioris, ut cum
 liber homo credit se contrahere cum libera, & contrahit cum serva;
 Is nullo pacto consentit in conjugium, unde & hic error impedit ma-
 trimonium contrahendum & dirimit contractum, *c. un. §. his ita, 29.*
q. 2. c. 2. extr. de conjug. Vel quis decipitur errore III. fortunæ,
 puta, cum quis uxorem divitem putat ducere, quæ tamen est inops; &
 illud matrimonium valet & subsistit, licet maritus opinione suâ fru-
 stratus sit, nihilq; uxor aut parum in bonis habeat: quia matrimoni-
 um non bonorum accessione sed consensu perficitur, *l. fin. Cod. de*
repud. l. nuptias, ff. de R. J. Aut denique quis errat IV. in qualita-
 te, ut cum quis putat aliquam probam esse, quæ tamen rixosa est, &
 talis quoq; error non vitiat matrimonium, cum non pertineat ad sub-
 stantiam matrimonii, & sibi imputet, qui contraxit cum eâ, cujus con-
 ditionem exactius explorare debuit, *l. qui cum alio ff. de R. J.*

73. Forma Nuptiarum duplex esse potest: una interna; altera
 externa. Interna, ut sit legitima conjunctio individuum vitæ consue-
 tudinem continens: contractu enim legitime inito, de perpetuâ vitæ
 consuetudine ponuntur nuptiæ quoad essentiam §. I. I. *de patr. pot. &*
pr. de nupt. Legitima verò dicitur, si contrahentes secundum præcepta
 II. coeant, *d. pr. & s. pen. I. h. t.* Externa, quæ olim varia, *Ulp. t. 9*
II. 25. c. 6. Tac. lib. 4. Gell. 18. c. 6. Arist. lib. I. æcon. Cujac. ad Ulpian.
tit. II. & obs. lib. 6. c. 16. & 20. Ubi tribus modis habebatur Uxor
 quos videlicet apud *Wesemb. in π. h. n. 5. Hillig. in Don. Eucleat, lib. 13.*
c. 8. lit. Hb. C. J. A. de R. N. th. 24. n. II.

74. Sed & varii ritus & solennitates olim adhibebantur. Si
 enim Sponsalibus staretur, tres dies legitimi nuptiis dici solebant, *l. 66.*
§. 1. ibi ante diem tertium, ff. de donat. int. Vir. & Ux. in quibus cele-
 brarentur, in ornatu sponsi, qui tondebatur, *Hotom. c. 17.* & sponsæ
 quæ senis crinibus ornabatur, deductione Nymphagogorum, præfe-
 rentibus facibus, colo comtâ, cñ fuso & stamine, in foribus ædiû ornan-
 dis floribus & frondibus præsertim laureis, *Catullus in carm. de Nupt. Pe-*
lei, Plin. 15. natur. histor. c. fin. in transgrediendo Januæ limine, in
 clavium traditione & in pelle lanatâ & aquâ aspersâ, in cœnâ quoq;
 lautè satis & opiparè convivis paratâ, in tibiâ, in thalassione, in spargen-
 dis nucibus & in lecto rosis contexto, qui genialis appellabatur, *l.*
cum fuerit, de cond. & demonstr. & similibus alijs, de quibus vid. Brisf.
lib. de R. N. Dn. Godofr. ad Rubr. de spons.

C 2

75. Inter



75. Inter hos tamen ritus solennes præcipuus erat deductio, quam triplicem apud Dd. & Jctos invenio 1. in hortos; 2. in domum; 3. in cubiculum. Sed deductio in domum, de qua disceptant acriter Dd. ad nuptiarum substantiam (multò magis deductio in hortos & in cubiculum) non necessaria mihi videtur per text. in l. si donationum C. de nupt. Ubi pompâ nuptiali non everti matrimonii validitatem asseritur, & rectè; Sola enim maritalis affectio nuptias facit l. ii. C. de repud. Hodie autem in terris Ecclesiæ mos obtinuit, ut nuptiæ contrahantur in templo & in Ecclesiæ facie & coram eâ vel cætu quodam fidelium, Ecclesiam repræsentante, se ambo sistant, benedicentemque sibi ministrum Ecclesiæ audiant & DEUM invocent, ut conjugium feliciter & prosperè cedat. Nov. 74. c. 5. 2. S. fin. de cland. spons. c. fin. caus. 28. q. 1. can. aliter ca. 30. q. 5. Borcholt. in tr. de grad. pag. 90.

76. Finis Conjugii duplex est, primarius & secundarius. Primarius habet causas duas, quarum I. est procreatio liberorum, quæ originem cepit in Paradiso ante peccatum, Gen. 1. v. 28. II. quæ facta extra Paradisum, ut esset adversus omnes inordinatas & illicitas libidines medicina, Gen. 2. v. 24. Prov. 5. v. 18. & seqq. 1. Cor. 7.

77. Secundarius multas habet causas, Educatio liberorum. I. de I. N. G. & C. Constitutio & conservatio familiarum & Rerumpublicarum, Cic. lib. offic. Bodin. lib. i. de Republ. c. 1. & 2. l. 1. ff. sol matr. Nov. 22. in pr. l. 220. §. 3. ubi Gæd. de V. S. mutuaitidem conjugum officia, auxilium atq; delectatio, Eccles. c. 4. v. 9. & seqq. & Syrac. c. 9. v. 9. de quibus & similibus causis fusiùs Wesemb. in π. ff. n. 6. de R. N.

78. Effectus verò Nuptiarum varii constitui possunt, ex quibus I. est potestas patria, quæ est jus quod pater in liberos suos legitimos habet, l. 3. & 6. ff. de his qui sui. Patris appellatione intelligimus non tantùm eum, ex quo quis immediatè est progenitus, sed etiam avum paternum omnesq; ex lineâ paternâ adscendentes. l. 51. & l. 201. ff. de V. S.

79. II. Communio; ac primùm Juris divini, l. 1. h. ad quam referre possumus religionis communionem, ob quam Apostolus virum & uxorem coheredes gratiæ vitæ appellat 1. Petr. 3. v. 7. Deinde humani, d. l. 1. h. Vnde uxor ipso jure fit particeps domicilii & fori l. exigere 65. de judic. l. cum quedam 19. ff. de jurisd. dignitatis & familiæ maritalis, l. mulieres 13. C. de dign. l. 8. cum seqq. ff. de sen at. privilegiorum quoq; mariti personalium l. 6. C. de Profess. & Med. & si injuria

ria illi facta, marito facta videtur, l. 2. C. de injur. quæ jura etiam vi-
duis jure civili perdurant, l. filij 22. §. 1. ad municipal. l. 13. C.
de dign.

80. III. Legitima mariti defensio in uxore, §. 3. Inst. de in-
jur. & bonorum administratio, l. maritus 20. & ibi Dd. C. de
procurat. Jur. Sax. Landrecht lib. 3. art. 45. licet alter pro altero
propterea conveniri nequeat, t. t. C. ne uxor pro marito.

81. IV. Mariti dominium in rebus dotalibus, l. doce ancillam
9. C. de R. V. l. 30. ff. de jur. dot. & lucrum fructuum dotalium, l. 20.
C. de jur. dot. Vice versâ verò uxor fit consors omnium bonorum
mariti viventis, l. 4. C. de crim. expil. Vnde & alimenta maritus de-
bet, siue is dotem acceperit, siue non acceperit, l. 22. §. 8. ff. sol. matr.
quemadmodum nec ex causâ dotis non acceptæ, adibus à marito ex-
trudi potest, l. pen. §. 1. C. de repud. Ex plærorumq; item locorum sta-
tutis certam quoq; maritalium bonorum conjugum alter ab alterius
morte partem lucratur, Wesembec, in π. ff. h. n. 6. C. J. A. h. 9. 16. n. 3.
vera tamen societas & communio proprietatis bonorum inter conju-
ges non est, l. 1. §. 15. ad Sctm. Sil. l. 8. C. de pact. convent. nisi de eâ
apertè convenerit, l. 16. §. ult. ff. de aliment.

82. V. Maritalis potestas, quæ consistit in cohabitatione &
obsequio præstandis, de quibus Apostolus 1. Cor. 7.; quamvis autem
Jure civili Rom. uxor non vivat sub potestate mariti, l. 2. §. 1. ff. sol.
marr. l. 29. §. 1. ff. de relig. l. 1. & seqq. ff. de lib. exh; jure tamen divino,
Num. 30. v. 7. Canonico, Bal. in c. 1. an marit. succed. uxor in feud.
Consuetudinario, Tiraq. in ll. connub. in pr. & Saxonico, Fachs. diff.
6. & 7. per art. 31. 45. ubi gloss. lib. 1. in ejus est quasi potestate & curâ.
Wesembec. in π. ff. h. n. 6. Hinc ad reverentiam & fidem marito debi-
tam exhibendam uxor obstringitur, ad quam adigi debet primùm
quidem non verberibus, sed verbis, & modestâ correctione: exemplo
Jobi, c. 2. Syrac. 25. Quod si parere nolit, necessaria poterunt ipsi de-
negari, l. 18. & seqq. de oper. libert. Donell. lib. 13. comment. c. 21. &
ibid. Hillig.

83. VI. Adfinitas, quæ contrahitur Jure Civili inter virum &
uxorem l. 8. de Cond. caus. dat. inter virum & cognatos uxoris, & inter
mulierem & cognatos viri l. 4. §. 3. ff. de grad. mortuoq; altero conju-
gum dissolvitur. §. 6. Inst. de Nupt.

84. Contraria matrimonio sunt quàm plurima, quæ impedi-

nunt illud contrahi, vel contractum dissolvunt. Contrahi maximè impedit dissensus; de quo supra.

85. Contractum verò dissolvitur vel morte, vel divortio, l. 1. ff. de divort. Morte, eaq; tum naturali Conjugatorum alterius, & sic mariti & uxoris, l. 1. ff. de divort. Rom. 7. v. 2. 3. 1. Cor. 7. v. 39. tum civili, ut I. captivitate & contingente servitute utriuslibet conjugum, d. l. 1. de divort. l. 56. ff. sol. matr. Nov. 22. c. 7. Hæc n. servitus mors civilis est, l. 4. ff. qui satis dare cog. Wesemb. in π. ff. n. 3. de divort. Hodie tamen cum ex Novell. 22. c. 8. servitus pœnæ tollatur, per servitutum pœnæ matrimonia dissolvi non possunt, C. J. A. lib. 24. t. 2. 8. 2. Et sic etiam alter conjugum ad secundas nuptias transire nequit, quam diu constat captivum vivere. Si verò dubium sit & incertum an captivus vivat, quinquennium erit expectandum, d. Nov. 22. & l. Uxores, de divort. Quin imò, nuncius certus requiritur, qui de morte significet, Auth. Hodie, C. de repud. c. in presenti de Spons. Wesemb. in π. ff. n. 3. de divort. Si autem justam militiam secutus est, expectari debet, donec de morte ejus constet, d. Auth. Hodie, & Nov. 117. c. 11. quod in erroribus nostri seculi, qui non sequuntur necessariam militiam, & sic desertioni prætextum obducunt, illud sequi solent Magistratus, ut post quinquennium, aut quadriennium, tempus, desertore citato, literis publicis ad templum affixis, vel in suggestu lectis alteri conjugi novas permittant. Wesemb. in π. n. 3. ff. de divort. Constit. Elect. Saxon. part. 1. lib. 2. II. Deportatione; si tamen casus, in quem maritus incidit, mutet uxoris affectionem: l. si quis 56. ibiq; gloss. ff. solut. matr. Secus est, si non mutet. l. sed si 13. S. 1. de donat. inter vir. & Uxor. l. 1. C. de Repud. Cujac. ad N. 22. c. 13.

86. Dissolvitur & matrimonium divortio, quod vel à diversitate mentium dictum est, vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium, l. divortium 2. in pr. ibiq; gloss. de divort. & l. inter 191. de V. S. Nihil est aliud, quàm repudiatio conjugis legitimè facta. Dico repudiatio Conjugis, quia quamvis repudium propriè cadat in Sponsum & Sponsam d. l. inter 191. tamen de conjugibus quoq; non absurdè dicitur l. inter 101. S. 1. d. t. deinde addo, legitimè facta; quia requirit divortium 1. Consensum; 2. Formam; 3. Causas propter quas fiat.


87. Consensu fit vel utriusq; conjugis vel alterius tantum consensu. Utriusq; consensu dirimi matrimonium constat ex l. si consentiente 9. C. de divort. quod divortium fit bonâ gratiâ, puta, si matrimonium

monium propter sacerdotium vel etiam sterilitatem vel senectutem aut militiam commodè retineri non possit, *l. vitricus 60. §. 1. cum ill. duabus, ff. de donat. inter vir. & ux.* & licet statutum sit in Nov. ut liceat matr. vel av. *§. c. 117. c. quia verò 10.* quòd non liceat mutuo consensu dirimere matrimonium, tamen hoc jus Imperator iterum sultulit & vetus approbavit, modò divortium ex certâ fiat causâ: *Nov. ut consensu matr. solv. poss. 140.*

88. Circa Formam divortii notandum, quòd nullum divortium ratum sit, nisi septem civibus Rom. puberibus testibus adhibitis *l. 9. ff. de divort.* In renunciatione autem comprobata fuerunt hæc verba: Tuas res tibi habeto, tuas res tibi agito, *d. l. 2. §. 1. ff. de divort.* quæ renunciatio fiebat vel præsentem vel absentem per eum, qui in ejus potestate erat, cujusvè is & ea in potestate erat, *l. 2. §. 3. ff. d. t.*

89. Deniq; Causæ propter quas divortium solet concedi, sunt partim utrique communes, partim alteri propriæ. Communes sunt I. Crimen læsæ majestatis, *d. Nov. 117. c. 8. & c. 9. 2.* Adulterium *l. consensu 8. §. si qua 2. C. de repud. & c. 9. Matt. 5. v. 32. & c. 19. v. 9.* Redintegratur tamen matrimonium si altera pars, quæ petit divortium fieri, postea fornicetur, *c. significasti 4. cum c. seq. de divort. Beust. part. 2. c. 38.* & reciproco adulterii crimine probato divortium non conceditur, sed ad reconciliationem mutuam proceditur, *c. pen. & ult. de adult. & stupr. 3.* Machinatio mortis, *d. Nov. 117. c. 8. & 9. & l. consensu 8. §. si qua 2. C. de repud. & Beust. d. part. 2. c. 9. 4.* Apostasia seu infidelitas, *Beust. part. 2. c. 27. 5.* Impotentia, *t. t. de frigid. & malesic. & impot. co. Beust. d. part. c. 14.* & deniq; malitiosa desertio. *Beust. d. part. c. 26. & aliquot seqq.* Causa uxori propriæ sunt Tres: 1. Si uxor cum extraneis nolente marito convivetur aut lavet. 2. si extra domum mariti maneat, nisi sit cum Parentibus. 3. Si marito ignorante aut nolente ludis interfit. *Nov. de nupt. 22. c. si vero 16. §. 1. & d. Nov. 117. c. 8. v. si cum viris extraneis & c.* Causæ vero Vxoribus, quibus ipsa maritum repudiare potest, duæ sunt: Vna si maritus lenocinium Vxoribus procuraverit: Altero, si maritus Vxorem de adulterio falsò accusaverit. *d. Nov. 117. c. 9.* & hæc de hisce in præsentia dicere placuit.

Principium fueras; Finis & esto, DEVS!




I
D
J.



X 2615926

VD.17





Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

713.
13
1631, 5.
XIII
T I O
ONNU
M:
RIMONIS RITE
OLVENDIS,
XIMO FELI
onsultissimo,
LOCAMERO,
NT ORATENSIVM
P. P. ET FACULT.
no ac Praeceptore
ndo.
nit
A-SILESIVS.
T I.
SIMONIS
XXL